

FERDINANDI II. IMPER. & REGIS DECRETUM I. ANNI 1622. ARTIC.
POST CORON.

De insertione publicis Regni Constitutionibus Diplomatis per Sacram Caesaream Regiamque Majestatem, Statibus et Ordinibus Regni, tempore felicitis inaugurationis suae concessi.

A r t i c u l u s 2.

§. 7. *Prima Conditio.* Quod universas et singulas Regni libertates, immunitates, privilegia, statuta, jura et consuetudines, simul et conclusionem tractatus Viennensis, omnesque Articulos, in eodem comprehensos, ita et reliquos, ante et post Coronationem, modernae Sacratissimae Caesareae et Regiae Majestatis in Anno 1608. et 1609. editos, in omnibus suis punctis, clausulis et Articulis, sua Majestas Regia firmiter et sanctae observabit, per aliosque omnes inviolabiliter observari faciet.

§. 10. *Quarta Conditio.* Confiniorum vero Praefecturas, Capitaneatus et alia officia, tam in hoc, quam aliis Regnis annexis, Majestas sua, juxta Articulum undecimum ante Coronationem Anno 1608. editum conferet.

§. 13. *Septima Conditio.* Quod in Palatini electione, ejusdemque auctoritate, Jurisdictione et Officio, juxta Artic. Viennensis Pacificationis ad tertium, item ante Coronationem edito, Anni 1608. Art. 11. et Anni 1613. Art. 7. Ferdinandi Regis Anni 1555. Art. 1. circa finem, ac secundum formam juramenti ejusdem Palatini, praescriptum modum Majestas sua observatura est. De Banatu etiam, quae in eodem Artic. 11. Anni 1608. continentur: Similiter et de Valachis, Annor. 1604. Art. 14. Anni 1608. Art. 9. et Anni 1613. Art. 39. effectuat.

§. 14. *Octava Conditio.* Quandoquidem salus et permansio, non modo afflictae hujus Patriae, tanquam clypei et antemuralis, sed aliorum quoque vicinorum Regnorum et Provinciarum, ex bona et segura Confiniorum provisione dependeat; Majestas sua, juxta Artic. 21. Anni 1608. ante Coronationem et Art. 32. Anni 1609. paterne Confiniis providere dignabitur.

De nonnullorum privatorum Regnicolarum bonis per Exercitum suae Majestatis occupatis restituendis.

A r t i c u l u s 13.

§. 2. In Slavonia vero; Rechicze, Castellum Domini Pauli de Nadasd restituatur.

De modo Insurrectionis in casu hostilis impetus et summae necessitatis.

A r t i c u l u s 21.

§. 7. Civitates autem Liberae juxta limitationem Domini Palatini; in Slavonia vero Domini Bani, onera belli ferre debebunt.